



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

9. Cur tempore Christi tot fuerint à dæmone insesi, per Apostolos liberati?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

Quid clarius poteſt dici pro Reliquiarum honore ac veneratio-  
ne? Quod argumentum etiam pro imaginibus ſacris militat.  
Nam & umbra corporis nonnè effigiatam velut ſimilitudinem  
repræſentat? Nec aliunde, poſt Plinium & alios, Clemens Ale-  
xandrinus tradit, quàm ex huiusmodi per umbram formatis ima-  
ginibus natam pingendi artem.

IX.

Actor. 5. 16.

Effectus porò harum ſanctatum pluribus explicatur in  
Actis Apoſtolorum, his verbis. *Concurrebat autem & multitudo  
vicinarum ciuitatum Ieruſalem, afferentes agros, & vexatos à ſpiri-  
tibus immundis: qui curabantur omnes.* Complures cauſæ fuerunt,  
ob quas tempore Chriſti & Apoſtolorum tot energumeni legan-  
tur extitiſſe. Nam præter iuſtitiam Dei, hominum peccata puni-  
entis, per Spiritum malum, tamquam per carnificem, de qua  
re ſuprà egi, etiam erat hæc cauſa, quia eo tempore vigeant  
Sadducei, quorum vnus error erat, omnino nullum ſpiritum  
eſſe; & in primitiua Eccleſia, Tertulliano & Cypriano teſte,  
multi per dæmones obſeſſi erant, quia ſimilis tunc error fuit Pe-  
ripatericorum, ſicut nunc Atheiſmo ex Caluinismo repullula-  
ſcente, tot paſſim ſagarum & magorum ac veneficorum exami-  
na ſuccifa multiplicantur, vt qui neget, eſſe dæmones, ſagis ipſis  
fit peior. Fuerunt hæc ſimileſque cauſæ diuina ſapientia & æqui-  
tate dignæ, vt propter eas tempore Chriſti & Apoſtolorum tot  
à dæmonibus inſiderentur. Sed acceſſit ad has in primis etiam  
illa, vt expulſione dæmoniorum Apoſtoli, & per Apoſtolos Chri-  
ſtus inclareſceret, à quo Apoſtoli poteſtatem acceperunt dæmo-  
nes eiiciendi. Quis enim non miraretur in rudibus illis piſcato-  
ribus, in homulis pauperibus & contemptis, tantam vim, vt im-  
becilles ipſi, fortiſſimos gigantes, & ipſum patrem filiorum ſuper-  
bia verbo de poſſeſſione ſua expellere poſſint, & ad ſordidiſſima  
quæque deiicere illam, *qui ſolum ſuper Aquilonem conatus fuit lo-  
care?* Nec paruum erat beneficium, ſiue morbis, ſiue alijs dolo-  
ribus ac moleſtijs vexatos à ſpiritibus immundis liberari, in nomine  
Chriſti. Quare merito liberati, & Apoſtolorum doctrinam, &  
Chriſti diuinitatem crediderunt.

S. Auguſt. in  
Pſal. 77.Tertull. in  
Apolog. Cy-  
prian ad De-  
metrianum.

Iob. 41. 25.

Iſa. 14. 13.

X.

Talia etiam de alijs Apoſtolis legimus. Iacobus Zebedæi  
filius, Ioannis Apoſtoli & Euangeliftæ frater, cui Samaria &  
Iudæa